DE ADMIRABILI
CHRISTI IN COELUM
ASCENSIONE
ORATIO

IN BASILICA LATERANENSI HABITA

Ad SSm̃um Dominum Noſtrum

BENEDICTUM XIV.

A

ROMUALDO GUIDI

Ex Marchionibus Montis Veteris.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA



ROMAE MDCCXLVIII.

Ex Typographia Joannis Zempel prope Montem Jordanum.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

Sanctiſſimo Domino Noſtro

BENEDICTO XIV.

PONTIFICI MAXIMO.

ROMUALDUS GUIDI
FELICITATEM.

QUUM non Divino ſolum jure cautum olim fuerit, verum & apud Ro-

Levit. cap. 23. v. 10. Plin. l. 18. cap. 20. Athen. lib. 6. c. 6. Porph. de abſtin. lib. 2. §. 7.

Digitized by Google

manos, atque Graecos, & barbaras quoque nationes in more poſitum, ut Primitiae frugum, & fructuum Sacerdotibus offerrentur, neminem ſane, BENEDICTE Pontifex Maxime, ſuccenſere mihi poſſe crediderim, quod Orationem hanc qualemcumque meam, primitivum ſcilicet exigui ingenii mei foetum devovere Tibi non erubeſcam.

Neque vero vel tenuitas ipſa muneris, vel dignitatis, aut ſapientiae Tuae magnitudo ab ejuſmodi me oblatione deterrere debuerat: quanquam

enim

Digitized by Google

enim ingenti Eccleſiae bono ad eum Beatitudinis gradum in terris conſcendiſti, ultra quem progredi nemo poſſit, niſi exemplo tuo, vel ſcribenda faciat, vel ſcribat legenda; Vicariam tamen non tam gerere poteſtatem, quam clementiam illius imitari ſtudes, qui bonorum noſtrorum minime indigus, cum divitum accipit oblationes, tum pauperum praecipue munuſcula, quin & deſideria reſpicit, atque grata maximopere habet; necnon Viduam illam in Gazophilacium duo, quae ſola ſibi fuerant,

Luc. 21.
S. Cyprian. de opere, & eleemoſ.

rant,

Digitized by Google

rant, *minuta mittentem*, *plus omnibus miſiſſe ait in dona Dei*, non de patrimonio, ſed de animo opus ejus examinans; & conſiderans non quantum, ſed ex quanto dediſſet.

Hoc idem itaque de me Judicium Te prolaturum eſſe eo vel maxime confido, quod inter nobiliora Summi Sacerdotii tui ornamenta incredibilem illam humanitatem computare ſoleas, qua ſtudioſos Juvenes paterne complecteris, eoſque, maximis licet Eccleſiarum omnium, Imperiique curis

curis diſtentus, ad omnem ſacrae eruditionis culturam, omniumque virtutum amorem munificentia, exemplo, praeſentia denique ipſe tua illicere, provocare, atque accendere ſolemne habes; quippequi experimento ipſo didiciſti, nunc vero & doces regnum illud fortunatum fore, ubi vel Reges ſapientes ſint, vel ſapientes regnent.

Regnum interea tuum, BEATISSIME PATER, magis magiſque fortunet Dominus Jeſus, qui admirabili ſua in coelos Aſcenſione aeterna il-

lius ſundamenta poſuit, quique per Te tot naturae bonis, tot gratiae muneribus, tamque illuſtri ſuae gloriae ſpecimine decoravit, diu quoque ſoſpitem, atque incolumem ſervet ad cumulatiſſimam Chriſtianae Reipublicae felicitatem.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO.

BENE, ac ſapienter, BEATISSIME PATER, majores noſtri Dominicam in Coelos Aſcenſionem omnium Chriſti myſteriorum *conſummationem* appellavere atque coronidem, Divinaeque illius *Oeconomiae finem*, quod videlicet Unigenitum Dei, & hominis Filium ad ſum-

S. Bern. ſerm. 2. in Aſcenſ. D.

Auct. Conſtit. Apoſt. l. 8. cap. 3.

mum honoris faſtigium evexerit. Hodie namque ſalutis Auctor, dum praeſentibus Apoſtolis, cunctiſque Diſcipulis *benedicens* ferretur in Coelum, & ad Paternae Gloriae dexteram conſeſſurus aſcenderet; ipſa, qua ferebatur, via ſe Naturae Dominum luculenter oſtendit; ipſa vero, quam adſtanti Eccleſiae contulit, benedictione ſe Dominuum gratiae; ipſa denique ad Patris dexteram ſeſſione ſe gloriae Dominum eſſe manifeſtiſſime declaravit.

Luc. c. 24. v. 50. 51.

Neminem profecto latet, humani generis Reparatorem, dum inter homines verſaretur, in pleraſque rerum naturas non ſemel, aut iterum, ſed quam ſaepiſſime plenum, abſolutumque Dominium exercuiſſe: quum ad nutum illius & coeci viderent, & claudi ambularent, & mundarentur leproſi, & mortui reſurgerent, ad ejuſ-

Digitized by Google

juſque vocis imperium, & venti, & mare, & Doemones obtemperarent. Nonne ipſe eſt, quo naſcente nova Stella in Coelo refulſit? quo moriente Sol ſuos in meridie radios abſcondit? quo ſepulto, concuſſa terra mortuos ad vitae jubar evomuit? Nonne ipſe eſt, qui ad inferna deſcendens, conſumpſit omnem tentationis invidiam humilitate perfecta; dum in Inferno poſitus non habuit, unde caderet, ſed habuit, unde reſurgeret?

Et tamen (quis credat?) poſt tot praeclara in rerum naturas Dominii ſigna, immo poſt ipſam quoque Reſurrectionis victoriam, quae ſane ſplendidiſſimum Divinitatis argumentum eſt, nonniſi hodierna die a Diſcipulis, qui omnium mirabilium ſuorum teſtes fuere locupletiſſimi, Chriſtum naturae Dominum legimus adoratum. An forte Fidei noſtrae Pro- *Luc. ubi ſup. v. 52.*

ceres ante Dominicam Aſcenſionem ipſius Divinitatem tot, tantiſque documentis validiſſime praeoſtenſam vel ignorabant, vel non credebant? Credebant equidem, inquit pro omnibus Gentium Magiſter Apoſtolus Paulus; *Verum etſi cognovimus ſecundum Carnem Chriſtum, ſed nunc jam non novimus*. Quum enim ſolum in eo viderent hominem, tanquam cum homine verſabantur; eaque fortaſſe familiaris conſuetudo, qua Diſcipulos alloqui, cum ipſis etiam poſt Reſurrectionem conveſci, ab eis denique tangi, palparique dignatus eſt, ſupremae adorationis officium exteriori ſaltem ſpecie ab illis vel non exegit, vel non extorſit.

2. *Cor. cap.* 5. 16.

Maldon. Calmet. aliique in Luc. c. 24. 52.

Quum primum vero Inferni victor ac mortis Coeli ſemitam in ſpeciem triumphantis ingreditur, &, juxta Prophetae vaticinium, ponit nubem

Pſal. 103. *v.* 3.

Digitized by Google

bem aſcenſum ſuum, & ambulat ſuper pennas ventorum; quum primum is, qui fecerat omnia, ſuper omnia ferebatur, illo propria virtute revertens, unde ſua in nos pietate deſcenderat; quum primum, inquam, ea Divinitatis majeſtas, quae latebat in homine non jam quibuſdam miraculorum indiciis, ſed pleniſſima aeternae lucis eruptione, velut effractis animae beatae, quibus continebatur, repagulis, tota ſeſe in Dominicam carnem ita profudit, ut non jam Divinitas ſub humana forma latitans videretur, ſed humanitas tantum non lateret in ſinu Divinitatis, & Chriſtus, ut Patres loquuntur, *totus Deus* appareret; nunc demum non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum agnoſcentes, debito Latriae cultu Aſcendentem Dominum proſequuntur, ipſa rei evidentia coacti confiteri Deum,

quem

quem ante ſola fide confitebantur;

Aſcenſio quidem Domini non finis carnis, ſed commutatio fuit, nec virtutis augmento conſumpta ſubſtantia eſt. Qualitas tranſiit, non natura defecit; ſed merito dicitur Caro Chriſti in eo ſtatu, quo fuerat nota neſciri, quia nihil in ea paſſibile, nihil remanſit in ea infirmum, ut & ipſa ſit per eſſentiam, & non ſit ipſa per gloriam, & quae priori infirmitate Apoſtolos a Chriſti adoratione diverterat, ſua tandem claritate integrum religionis obſequium ab ipſis extundat.

Ex S. Leo. M. ſer. 1. de Reſurr.

Dum vero Magiſter bonus, Sacerdos, & Pater a filiis ſuis tributum accipit adorationis, incomparabile ſuae benedictionis donum illis rependit; dum enim *benediceret illis, receſſit ab eis, & ferebatur in Coelum*; ut quem naturae Dominum venerantur,

Luc. ubi ſup.

Digitized by Google

tur, & colunt, omnium continuo gratiarum fontem proprio illum experimento recognoſcant.

Poſtquam pro ſuis, populique peccatis legalia obtuliſſet Aaron ſacrificia, *extendens manus ad populum benedixit eis*: complectiſque deinde aliis hoſtiarum oblationibus, in Sanctum Sanctorum, quod uni tantum Pontifici ſemel in anno patebat, non ſine ſanguine victimarum ingreſſus, panes propoſitionis intulit, ac thymiama; egreſſuſque deinceps iterum populo benedixit; *apparuitque gloria Domini omni multitudini*. *Levit. 9. v. 22. 23.*

Sed umbram quidem habuit lex futurorum bonorum non ipſam tamen imaginem rerum; Hanc enim hodierna luce in glorioſiſſima Chriſti Aſcenſione revelatam ſola cernit, ac tenet Sancta Mater Eccleſia. Ipſe namque eſt melioris teſtamenti Sacerdos *Haebr. cap. 10. v. 1.*

Digitized by Google

dos excelſior Coelis factus, qui publica pro totius Mundi criminibus effectus hoſtia, non egena & inania elementa, ſed *ſemetipſum obtulit immaculatum Deo*. Ipſe eſt verus *Pontifex futurorum bonorum*, qui coeleſtia ſcandere incipiens, Eccleſiae in Apoſtolis, cunctiſque Diſcipulis adunatae
Luc. 24. 50. *elevatis manibus ſuis benedixit*, quo videlicet manus illae adorabiles, quae tanquam manus maledictionis elevatae nuper, extenſae, atque in ligno transfixae Diſcipulorum corda turbaverant, omnium omnino benedictionum, omniumque gratiarum, quae in homines derivantur, origo fierent, eorumque animos uberrimo fidei lumine, invicto fiduciae robore, ſuaviſſima demum ſanctae charitatis dulcedine recrearent. Et re quidem ipſa qui paulo ante ob ſibi praenunciatum Chriſti receſſum tantopere triſta-

ban-

Digitized by Google

bantur, vix aſcendentis Domini benedictione percepta, *reverſi ſunt in Hieruſalem cum gaudio magno*. *Luc. ubi ſup. v. 53.*

Et magna equidem erat, atque ineffabilis cauſſa gaudendi, cum in conſpectu ſanctæ multitudinis myſtico Sanctuarii velo in duas partes diſciſſo, & elevatis, ut non ſibi tantum, ſed toti pariter Eccleſiae paterent, Coelorum januis, *non per ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem hodie Chriſtus introivit ſemel in ſancta aeterna redemptione inventa*. Non panes ibi propoſitionis, non thymiama, ut Leviticus Pontifex, ſed *ovem humanae naturae humeris impoſitam Patri obtulit, atque pro tali munere munus Spiritus Sancti, quod redderet impetravit*. *Epiphan. ſeu ſen. ſeu jun. ſerm. de Aſcenſ.*

O vere divinum gratiarum omnium Pontificem, ac largitorem, o pla-

plane coeleſtem Eccleſiae felicitatem! Quid mihi poſthac ad ſynagogae laudem in mentem veniat ea Domini gloria, quae repetitam Aaronis benedictionem ſecuta, Judaeorum multitudini apparuit? Quid enim apparuit, niſi tantum ignis e Coelo demiſſus, qui celeri delatus flamma e tabernaculo exiliens, conjunxit ſe igni ſuper Altare flagranti, ac priſtinam urendi virtutem felici adeo incremento auxit, ut victima holocauſti, & adipes paullo ante flammis commiſſa, ſtatim omnia momento citius abſumerentur, hoſtiumque finitimorum caedes tanto portenderetur auſpicio?

Aſt Gloria Domini, quae ipſo in coeleſtibus benedicente, apparuit Eccleſiae, miſſio illa fuit Spiritus Paracleti, qui tanquam ignis, auraeque vehementis totam Eccleſiae domum replevit, non ut holocauſtorum victimas,

Digitized by Google

ctimas, ſed hominum peccata conſumeret, ac ſeptiformi exornans gratia Deo conſecraret; qui panem & vinum in Corpus & Sanguinem Chriſti mirabili tranſmutatione converteret, ut ejuſdem incruenti ſacrificii, quod aeternus hodie Sacerdos in coeleſti Hieruſalem Deo Patri coepit offerre, in terrena quoque Hieruſalem ad finem uſque ſeculi quotidiana pro hominum ſalute recurrat oblatio. Hunc probe ignem gratiae Dominus in Coelum aſcendens, voluit in terris vehementer accendi, quo videlicet legalium ſacrificiorum varietate conſumpta, & coeca Paganorum ſuperſtitione delata, protritaque funditus diaboli poteſtate, ſicut unum eſt pro omni victima ſacrificium, ita unum de omni gente ſit regnum.

Jam vero, Beatissime Pater, dum ſynagogam ubique terrarum diſper-

Digitized by Google

perſam, miſeram, captivamque deſpicio; dum profana Idolorum delubra in templa Martyrum, & Piſcatorum converſa, ipſamque veteris palatii amplitudinem in ſacram hujus Baſilicae majeſtatem longe meliori auſpicio commutatam intueor; dum Praetorianae Cohorti Clericalem Militiam nobiliori additam Sacramento hìc circumfuſam aſpicio; dum politicum non modo Senatum, & Principes ipſos, magnorumque Regum Oratores, verum etiam omnes Eccleſiae Hierarchas, nec non eminentiſſimam Apoſtolici Collegii Coronam Pedibus Tuis provolutam admiror; atque in Te uno non Regiam, non Caeſaream tantummodo, ſed Vicariam Chriſti Poteſtatem venerabundus revereor; denique dum Urbem totam, orbemque ferme univerſum hodierna Apoſtolorum Religione una Tecum *in*

Tem-

Digitized by Google

Templo laudantes, & benedicentes Deum, ejuſque triumphalem Aſcenſionem Euchariſtico Sacrificio contemplor celebrantes videre jam mihi videor conſummatam Fidei victoriam, Chriſtique Regnum in terris fere ad perfectionem deductum; & admiratione quadam extra meipſum raptus exclamare compellor cum Auguſtino: *Si haec tam pulcra ſunt*, *qualis ipſe* Rex Gloriae? *Si haec tanta ſunt, quantus ipſe*, qui ad dexteram Dei Patris hodie conſeſſurus aſcendit? Quid enim glorioſius, quid auguſtius, quidve divinius, quam ut iſte Rex gloriae, ſuae Carnis Sacrificio, ſuaeque voluntatis Imperio tamdiu clauſas Paradiſi portas attollens, vacuas Angelorum Sedes innumera veterum Patrum multitudine repleat, & quos antea ſuae Deitatis fruitione bearat, nova nunc ſuae humanitatis gloria immen-

men-

Digitized by Google

menſum Beatorum gaudium adaugeat? Quid, inquam, divinius, quam ut iſte Rex gloriae promiſſum Spiritum Sanctum, quem una, & coaeterna cum Patre divinitatis ſpiratione profuderat, nunc propriae humanitatis obtentu in filios adoptionis effundat? *Quantus* revera *Deus*, *qui dat Deum*! Quantus Deus, qui facit hominem Deum! Sola quondam viſio divinitatis panis erat, & felicitas Angelorum; nec niſi ab anima humana caro & motum ſumebat & vitam. Nunc vero verſa naturae vice Caro Chriſti Domini dum animabus noſtris vitam gratiae, & gloriae pignus impertitur, Angelicos ſpiritus inſueta quadam beatitudine paſcit, atque ita unus, idemque Divini Sanguinis impetus & terreſtrem foecundat, & caeleſtem laetificat Dei Civitatem.

Auguſt.

Chriſti itaque generationem, ejuſque

Digitized by Google

que Aſcenſionem quis enarrabit? Cum per eam Dei filius ab aeterno genitus factus ſit homo mortalis, per hanc vero ſuper omnium Creaturarum Coeleſtium dignitatem mortalis generis natura conſcenderit ſupergreſſura Angelicos ordines, & ultra Archangelorum altitudines elevanda, nec ullis ſublimitatibus modum ſuae provectionis habitura, niſi aeterni Patris recepta conſeſſu, illius gloriae ſociaretur in throno, cujus naturae copulabatur in filio.

S. Leo M. Ser. 1. de Aſcenſ.

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rmo Patri Mag. Sac. Pal. Apoſt.

F. M. de Rubeis Archiep. Tarſi Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Nicolaus Ridolfi Magiſter Sac. Palat. Apoſtolici Ord. Prædicat.

Digitized by Google